PROLEGOMENA
AD
PHILODEMI RHETORICA

DISSERTATIO PHILOLOGA
QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
AMPLISSIMO IN UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINI
TRADITAM UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS
DIE VIII MENSIS IULII ANNI MDCCCLXXXXII HORA XII

PUBLICE DEFENDET
SCRIPTOR

SIEGFRIED SUDHAUS
POMMERANUS

ADVERSARII ERUNT

Dr. phil. GENNIGES
Dr. phil. KROLL
Dr. phil. RADEMACHER

LIPSIAE
TYPIS B. G. TEUBNERI
MDCCCLXXXXII

FRANCISCO BUECHELER

HERMANNO USENER

S

Si possem, haec Philodemi de rhetorica volumina retinerem et retractarem potius quam ederem. Sed multa me commovent, ut quae habeam tandem edam. Nam et puerorum vel educatio vel institutio me ab hac studiorum subtilitate magis magisque revocat et amplioris lectionis cotidie movet desiderium, et infiniti laboris aliquis tandem finis faciendus videbatur, et complurium contentione et iudicio philologorum plus effici quam unius opera expertus scio. Ac spes est his voluminibus editis virorum doctorum oculos in has reliquias converti posse, quas cum ad scholarum illius aetatis rixas contentionesque penitus perspiciendas tum ad rhetoricae studia illustranda magni pretii esse existimo. Denique etiam de Epicuri philosophia nonnulla inde addiscimus.

Priusquam autem de materia et compositione totius operis disputarem, pauca praemittenda videbantur, quae ad ipsum textum pertinent. In quo redigendo non dubito quin multi me audaciae insimulaturi sint. Sed hoc inprimis, opinor, videndum erat, ut cum miserum plerumque et hiantem textum haberemus, vastae illae lacunae, quae seriem et continuationem sententiarum complexumque verborum dirimerent, coirent et explerentur. Cumque duobus malis propositis alterum eli-

gendum utique esset, temeritatis subinde quam passim obscuritatis vitium deprehendi malui. Velut ipsa prima pagina v. 13, 14 *μορίου* interposui, quod quamquam pro exquisitiore nescio quo vocabulo positum est, tamen sententiae fere satisfacit. Omnino autem liber alter, quatenus restitutus est, sine summa in coniectando audacia restitui non poterat. Scio p. 97, 18 verbum *ἀπράκτου* non exstitisse, synonymum credo. Neque equidem mihi non temerarius esse videbar, cum p. 99, 28 *'Απολλόδωρον* scriberem, et p. 99, 3 *'Εφεσίων* audaciae crimine non carebit. Sed Usenerum ipsum quoque in has voces deferri videbam, scitissimum talium rerum aestimatorem. Est aliquid audendum: liber legi posse debet: vel ex errore veritatis saepe fructus succrescit et percipitur.

Sed saepius quam temeritatem, quae semper habet aliquid vituperationis, tarditatem ingenii quispiam obiurgabit, quae caret culpa. Multa sine dubio hiant, quae poterant sanari. Concedo, Davus sum, non Oedipus. Videant alii: nec vero mea in posterum Philodemo deerit opera.

* * *

Praeter exempla Neapolitana musei regii Borbonici apographa illa, quae Oxonii adservantur, adhibui. Atque insigni, qua solet esse, benignitate Theodorus Gomperz, horum studiorum facile primus, sua mihi apographa, quae Oxonii facienda curaverat, concessit, ut iam antequam exirent ectypa photographa *(Herculanean papyri Bodleian facsimiles)*, illis uti possem. Ectypa ipsa tunc demum contuli, cum magna pars voluminis

primi iam in officinam missa erat. Quae tamen, quoad potui, contuli accurate. Fit enim, ut vel acutissimo oculo et optima luce singula legi non possint, cum et tabularum perspicuitas satis sit diversa, et quae margini subiecta saepe apparent, luce deficiente paene obliterentur. Accedebat, quod Gomperzii apographa satis accurate instituta illinc non magnopere emendari videbam, minora autem velut *Α* et *Δ* sive *Γ* et *Τ* immutatae plerumque multo ante expediebantur. Commemorandum denique duas papyros partem libri secundi et partem quarti continentes iam 1825 Oxonii in Herculanensium Voluminum tomo II p. 1—116 publice propositas esse.

Ante hanc editionem iam Itali textum in voluminibus collectionis prioris restituebant. Quorum mentionem perraro et paene nunquam feci, quia linguae Graecae non satis gnari summa in explendis verbis licentia usi sunt. Textus enim inde a locutione Homerica usque ad consuetudinem Byzantinam quidvis comprehendit. Nec vero feliciores fuerunt in sententiis indagandis. Quoniam tamen verum in hoc genere emendandi ipso saepe obtutu et felicitate quadam oculi non minus quam scrutando invenitur, ipsi quoque sua *ἕρμαια* habent. Itaque quotiens me illis quidpiam debere iudicabam, hoc in adnotationibus commemoravi.

Partem libri quarti ex Oxoniensi exemplo edidit Leonardus Spengel in *Abh. der Münch. Acad. Phil.-hist. Cl.* III, 1 1837 p. 207—303. Is quamquam sagacissime plurima absolvit, tamen quod exemplari Neapolitano nondum uti poterat, nonnulla supplenda reli-

quit. Cuius mentionem faciebam, cum eius lectionem a mea discrepantem rèspiciendam censebam.

Deinde E. Gros Francogallus in libro „Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς ex Herculanensi papyro lithogr. Oxonii excussa restituit, latine vertit etc. — Adiecti sunt duo Philodemi libri de rhetorica Neapoli editi, Paris. 1840:“ et Spengelium et Italos descripsit.

Singulos denique locos Usenerus in Epicureis et Gomperzius passim tractaverunt. Quorum hic plerumque in *Zeitschr. für die österr. Gymn.* de voluminibus Neapolitanis disserens non pauca protulit. Usenero autem non unum locum, non unum volumen, sed paene totum librum debeo, quippe qui me ad haec studia adulescentem adduxerit, relanguescentem erexerit, dubitantem confirmaverit, docuerit imperitum, revocaverit errantem et temerarium, multis denique locis inde a pag. 129 vel verum vel veri simile investigaverit. Idem vero ne voluit quidem nomen suum singulis inventis addi, quod tamen hic illic faciendum credidi. Nec Buecheleri operam mihi defuisse quicunque Bonnam attigerit, ultro coniecerit. Quibus mihi hoc loco duumviris, quoniam referre non possum, gratias agere quam plurimas liceat.

De exemplaribus Neapolitanis et Oxoniensibus.

Exempla chalcotypa Neapolitana quamquam non mediocri diligentia confecta sunt, tamen fieri non poterat, quin in tanta frustulorum farragine erroribus interdum gravioribus deformarentur. Mitto minora, quae singulis locis enotata sunt, velut p. 99, 29 PIKHN, cum O recte exhibeat [πα]ρεθήκα[μεν], illud tanquam

ῥητορικὴν videatur. Inauditum est, quod p. 185, 24—26 legitur: *καθάπερ ἐγὼ μὲν τούτων πολλὰ κἀγαθὰ πεποίηκ' αὐτὸς* (sc. *λέξεως καχεξίας*!). Litterae tamen magnae, pulchrae, distinctae sunt, in O autem satis discrepant. Sed graviora adscribam. Quicunque XI² fol. 126—128 inspexerit, quae quidem folia continuitatis speciem praebent, non facile de contaminatione suspicabitur. Attamen folii 126 pars superior congruit cum pag. 9 eius voluminis, quod *περὶ ῥητορικῆς ὑπομνηματικὸν* inscribitur, pars inferior cum *ὑπομν.* pag. 5! itemque folii 128 pars superior respondet *ὑπομν.* pag. 11, pars inferior *ὑπομν.* pag. 10!

Saepius accidit, ut fragmenta errore bis describerentur. Conferas quaeso

VII² fol. 38, fr. 6	et	VII² fol. 42, fr. 12.
αισιν		*κ . . . δυσι*
ιτιστα		*τιστα*
εγε . υ		*ειγο . υ*
ονακασ		*οναλα*
πασ-αδσ		*παστασ*
υπαραι		*αυπαρασ*
ονεπιδε		*ωνεπιδε*
τωνειδοσ		*τωνσιδοσ*
τουσηστιν		*ουσηστο*
-κυδαινει		*-κυδαινθα*
καιταυτειν		*καιταυ . ν*

Vix melius quam hoc exemplo illustrari possit, quam incerta quamque exigui pretii talia sint, cum ne unus quidem versus plane congruat. Sed multo magis admiramur, quod p. 225, ubi fr. 1 et 5 similiter congruunt, alterum mediam partem paginae, alterum dex-

tram partem explet. Qui hoc fieri potuit? Ut brevis sim, Neapolitani si qua exigua frustula habebant, istis reliquiis marginem addiderunt, quae deërant, tamquam ornamenti gratia compleverunt et in integrae paene paginae speciem redegerunt. Evolvas quodlibet volumen collectionis alterius (vol. VI—XI), quo fragmenta contineantur. Mox invenies fragmenta, quae ex altera vel ex utraque parte contrita tamen margine addito in speciem quandam integritatis refícta sunt. Demas, quaeso, quae marginem efficiant: additamenta sunt: facile ea fissuris quibusdam internosces, quibus Neapolitanos additamenta sua significare voluisse puto. Optime hoc genus edendi illustratur VII[2] fol. 170 fr. 11, 10. Litterae mediam paginam obtinent. Legitur v. 10: σιαζεινδες, ut sub littera σ appareat lineola, scilicet signum interpunctionis, quod initio versuum subiungitur. Deprehendimus igitur paginam sinistram, quae media proposita est.[1])

Apographa Oxoniensia ab hominibus linguae Graecae insciis et eo tempore confecta, quo integriora fuisse videntur volumina, modo meliorem, modo deteriorem textum exhibent, plerumque autem pleniorem. Versum omissum esse uno tantum loco memini in *ὑπομνηματικῷ* col. 40, quod in N saepius accidit.

---

1) Quod iam Kemke et Hausrath in libris de musica et de poematis editis notaverunt paginas diremptas et falso contaminatas, in nostris quoque libris accidit velut initio libri V, quod singulis locis adscripsi.

De forma papyrorum et fide apographorum.

Papyrus 1427 = V^2 fol. 26—35 finem primi libri continet. Litterae tamquam fugiente calamo exaratae sunt. Multa mutata, deleta, adiecta sunt. Papyrus a summo ad imum fissuris dirempta satis tamen ad restituendum textum integra est. Utrumque exemplar et Oxon. et Neap. eiusdem fere pretii est.

Papyrus 1674 = IV^2 42—108 partem libri secundi continet. Fortasse, quia hic liber sine dubio permagnus fuit, charta scribam defecit. Sed sit sane casu non perfectus, certe medio capite interruptus est liber. Ductus litterarum simplex est, paginae optimae interdum et continuae semper. Exemplum Neapolitanum diligentius confectum et melioris usus est, Oxoniensi tamen, quod 1825 editum est, licet omnino magis corruptum sit, multa tamen corriguntur et explentur.

Papyrus 1672 finem libri alterius exhibet = V^2 36—76. Litterarum ductus si minus elegans at fortis et virilis est. Nimis multa correcta sunt (puto manu aliena). Neap. exemplar praestat diligentia, Ox. copia, verum pessime descriptum est, ut subinde ex totis versibus, qui integri viderentur, nihil elicuerim.

Papyrus 1423 = XI^1 p. 1 sqq. dat priorem partem libri quarti. Summa arte et elegantia magnisque litteris conscriptus est, ut vix aliquid mutare audeas. Apographo tamen Ox. nonnulla emendantur. Hoc etiam sub finem paginarum uberius est.

Papyrus, quae alteram partem libri quarti continet (= XI^1 part. II), in duas partes divisa, vel potius

discissa est. Nam cum 24 paginae evolutae essent, bello intercedente opus omissum est (anno 1799). Cumque hae 24 paginae nimis dilaceratae sint, quae paullo post evolutae sunt paginae 44 egregium textum exhibent. In quo peropportune accidit, quod Angli hanc partem descripserunt (= Herc. Voll. II, p. 1—45). Quamquam enim parum diligenter in describendo versati sunt, tamen multas schedulas margini adiecerunt, quae in N desunt.

Papyrus 1669 quintum, quem posui, librum continet = V^1 f. 1—67. Partes eiusdem papyri esse credo pap. 220 = VI^2 fol. 188—199 et p. 1078, 1080 = VII^2 fol. 161—185. Papyri 1078 et 1080 fragmenta Neapolitani numeris 1—32 inscripserunt tanquam unius chartae, recte sine dubio. Itaque his coniunctis tres papyros habemus, vel potius tres unius papyri partes. Forma litterarum plane eadem est, constat ratio, si versuum numerum, qui est quadraginta, computas, constat, si litterarum in singulis versibus numerum respicis, qui est duodeviginti. Erat haec omnis papyrus, quod quidem ex exemplis Neapolitanis conicias, non sine elegantia quadam et diligenter conscripta. In 32 continuis paginis semper initium et finis desunt, media folia satis vastis lacunis lacera sunt. Angli hanc quoque partem descripserunt, unde N non paucis locis vel corrigitur vel completur.

Papyro 1015 = V^2 f. 77—152 is liber continetur, quem sexto loco posui. Videtur neglegentius conscripta, si litterarum formam respicis. Praeterea exemplum Neapolitanum satis mendosum est, praestat apographon Oxoniense, quod et accuratius et uberius est.

De papyro 1004 =. III^2 fol. 110—209 hoc Neapolitani in indice adscribunt: „huius voluminis pagellae, in quibus nihil fere legitur, neglectae fuerunt, de earum numero tantum ratione habita“. Et vero miserae laciniae sunt, quae centum foliis proponuntur, cum octo paginae, quas Angli depinxerunt, facile possint restitui.

De textus voluminum, qualis olim fuisse videtur, forma et condicione.

Non mirum est in his combustis papyris litterarum vestigia nimis dubia et fluxa esse. Tamen qui primum haec volumina evolverit, ne suspicabitur quidem, quam incerta via emendator incedat. Quod cadit maxime in fragmenta voll. VI^2—XI^2.

Proponam e. g. V^2 fol. 83, fr. 12.

Neap.		Oxon.
. . *δυ . . . περια . λοι . . τ*	—	*τολε . ειν κα*
. . *τε . . κα . σου . υνα . α*	—	*γ̣ινορ̣θωσα*
. . . *μασ . . υδεανση . . .*	—	*τοδι . . . γεσθας̣*
. . . . *τινοιπ . . . . ο . α . . .*	—	*νειναικαταγι*
. . . . *εα . τωντοσ . ραπ .*	—	*ησδιαλεκτικησ*
. . . . . *αι . τωνα . θια .*	—	*δενειστοι . λω*
. . . . . *υ . . ιν . οδευκα .* }	—	*υνεργουντι . . εσικα*
. . *υνε . . τα . . . .* }		
. . . . *υ . . . . . τοισεν . .*	—	*υντοισομοιοισελ .*
. . . . . *σι . υα . καθοσ . νε*	—	*ιξεινκα . αθοσον*
. . *ναλεγοσ . ταυ . το*	—	*διαλεγεσσ . ταυτοτ*
. . . *αταβραχυλιτειν̣ι . .*	—	*χταβραχυμ . ατο*

Sed etiam in pristino textu menda fuerunt (velut 51, 1; 187, 4; 211, 18), quamquam perrara deprehendimus. Nam

quantum quidem iudicari potest, omnia vel paene omnia volumina a correctore emendata sunt, quaeque deerant addita.[1]) Itaque cavendum est, ne quae quis in textu restitui posse desperet, ea addendo vel demendo ad suam opinionem componat. Sed in eo libro, qui inscriptus est *περὶ ῥητορικῆς ὑπομνηματικόν*, ipse Philodemus nonnulla correxisse videtur. Supersunt enim duo huius libri exemplaria, pap. 1426 paginarum 16 et pap. 1506 paginarum 58. Illic p. VIII, 27 *φανήσεται*, XII, 27 *διατριβικὸν* exstant, cum in altera (priore puto) recensione *φανεῖται* et *σχολαστικὸν* exstiterint. Pagina paenultima etiam textum omnino differentem deprehendimus, quod in apparatu critico adscripsi. P. XIV, 6 sqq. legitur: *τὸ γὰρ „καθὸ ῥήτωρ“ οὐκ ἄλλο τι λαμβάνεται νῦν ἢ τὸ ἐν τούτῳ ῥήτωρ ἐστὶ* etc. — Altera recensio hoc habet: *τὸ γὰρ „καθὸ ῥήτωρ“ οὐκ ἄλλο τι λαμβάνεται τοῦτο νῦν* etc. Hoc *τοῦτο* notandum est: est enim neglegenter et *ὑπομνηματικὸν* conscribentis, quod postea scriptor textum denuo recensens resecuit. Nec vero contemptor elegantiae philosophus et poeta fuit Philodemus, quod vel inde colligas, quod hiatum consuetudine illius aetatis si minus omnino vitavit, at certe raro admisit, quam ego in coniciendo normam fortasse nimis saepe neglexi. — Duplex recensio etiam libri secundi fuisse videtur, de qua conferas, quod p. 28, 32—34, p. 44, 20, p. 24, 4 adnotatum est.

---

1) Bis voce *κάτω* significatur aliquid sub textu addi, cf. p. 9 et XI² fol. **114**, fr. 6.

De rhetoricis Philodemi operibus.

Iam antequam hoc magnum de rhetorica opus conscriberet, minimum tres, qui ad hoc argumentum pertinerent, libros Philodemus ediderat. Scriptus erat liber *περὶ λέξεως*. Cf. p. 156, 10 sqq. *καθάπερ ἐν τοῖς περὶ λέξεως ἀποδίδομεν ἐξεργαστικῶς* (sc. *περὶ ἀσαφείας*)· *ταὐτὰ δὲ καὶ νῦν κεφαλαιωδῶς ὑπομνήσομεν.* Eodem pertinere puto, quod p. 160 dicit: *τὰς ἄλλας διαφοράς, ὧν ἔκθεσιν ἐν τοῖς περὶ τούτων ποιούμεθα λόγοις.*[1]) Editus erat *περὶ ἐπαίνου* liber. Cf. p. 219, 20 sqq. ... *καὶ πάνθ' ὅλως, ἅπερ ἡμεῖς ἀναγκαίαν ἔχοντα χώραν πρὸς τοὺς ὀνησιφόρους ὕμνους ἐν τῷ περὶ ἐπαίνου λόγῳ διαστέλλομεν.* De cuius argumento nonnulla in antecedentibus disputat, quibus illum libellum ad rhetoricam pertinuisse apparet. Illud denique *περὶ ῥητορικῆς ὑπομνηματικὸν* et reapse ante rhetoricam scriptum esse consentaneum est et, ni fallor, p. 90, 30 sqq. indicatur. Quem locum cognitu dignissimum sic interpretor: adversarius nescio quis multis capitibus contra Philodemum disputavit respiciens ea, quae ille commentariis in suum ac discipulorum potius quam alienum usum compositis exposuerat. Haec utpote publici iuris non facta fas non fuisse dicit ab eo impugnari. Quot autem libros illa *ὑπομνηματικὰ* continuerint, sciri vix potest; complures fuisse veri simile est. Credo etiam papyrum 832 = VII[2] fol. 44—67 illuc reiciendam esse, de qua in tomo secundo dicetur, qui illud *ὑπομνηματικόν*, papyrum 832, fragmenta continebit.

---

1) De elocutione se acturum porro, si otium fuerit, p. 325 promittit in fine illius libri.

Contra alium librum, cuius titulus deperditus est, ex hoc maiore Philodemi de rhetorica opere sumptum esse puto, pap. 1004 = III² fol. 110—209. Quod quamquam demonstrari non potest, per se ipsum veri simile est, nisi forte aliud probatur. Mihi quidem et scribendi et argumentandi ratio tota Philodemi esse videbatur.

Ne fragmenta quidem excepto uno omnia recipere ac vindicare Philodemo dubitavi. Nam me iudice manifestum est nos bibliothecam vel potius reliquias bibliothecae Philodemi habere. Plurimae papyri nomen eius prae se ferunt. Multa bis servata sunt, multa pluribus etiam exemplaribus. Velut libri alterius, qui duobus continuis exemplaribus traditus est, septem (vel novem) praeterea fragmentorum fasciculos in manibus tenemus, p. 408, 409, 425, 1079, 1086, 1117, 1580. Ac licet duae tresve fragmentorum series quippe unius quondam integrae papyri partes coniungendae sint, quod demonstrari posse nego, quis tot exemplaria Philodemi in sua esse bibliotheca passus sit nisi Philodemus?

Unum fr. ab his seiungendum dixi, quod exstat IV² fol. 182—191 et fol. 204—208. Quamquam enim in media Philodemi de poëmatis diatriba invenitur, tamen de rhetorica aperte est.[1]) Nec dubium, quin illa frustula non sint Epicurei cuiusdam; Stoici esse recte, opinor, Usenerus Epic. p. 414 s. v. *Ναυσιφάνης* et 401 s. v. *Ἀπολλοφάνης* adnotat. Ex quibus IV² fol. 206 sic Usenerus expressit: *μετὰ ταῦτα πρὸς τὴν τέχνην τί δὴ λέγουσιν ἄλλ' ἢ „φιλόσοφος ἀνὴρ οὐ*

1) cf. Hausrath l. l. p. 217.

πολειτεύσεται“; δι' ὃ δὴ ἄρχονται μακρῶς ἢ πρὸς τὸν Δημοκρίτειον Ναυσιφάνην διαμάχονται, πρὸς δὲ τούτοις μάλα πιστῶς μειρακισκεύονται τόν θ' αὑτῶν Ἰδομενέα μαθητὴν παρεισάγουσιν ἐν τοῖς χαύνοις[1]) *οὕτω περιγινόμενον.* — Ultima verba sic mihi Usenerus interpretatus est. Nil mirum, si iste inter fatuos homines sic potuit excellere. Hic locus contra Epicurum conscriptus est, de quo uno verba *τόν θ' αὑτῶν μαθητὴν* intellegi possunt. Idomeneum autem Epicurus disputantem induxerat in Convivio[2]), si quidem locum notitia dignissimum recte restitui p. 102, 22 sqq. *Ἐπίκουρος τοίνυν ἐκείνων ἀμέλει τῆς ῥητορικῆς μίαν δύναμιν ἐπαγγελλομένων τὴν σοφιστικὴν καὶ τὴν πανηγυρικὴν καὶ τὴν πολειτικὴν ποιεῖ τὸν Ἰδομενέα μετὰ τὸ „παρρησιάσθω μετὰ τῶν ἐγνωρισμένων“ αἰτούμενον συγγνώμην, εἰ νέος ὢν θρασύνεται, καὶ συνασπίζοντά*[3]) *τινα ζητεῖ τοιαῦτ' ἄττα λέγων· „θαυμαστόν, εἰ σὺ μὲν οὐθὲν ἐξείργου διὰ τὴν ἡλικίαν, ὅτε αὐτὸς ἂν φήσαις τῶν κατὰ σεαυτὸν ἁπάντων νέος ὢν πρεσβυτῶν ἀνδρῶν καὶ ἐνδόξων πολὺ ἐν τῇ ῥητορικῇ δυνάμει ὑπερέχειν.“*[4]) De hoc loco, quem falso interpretatus est adversarius et unde Epicuri de sophistica rhetorica opinionem perverse statuit, Philodemus a p. 103—119, 27 verba ita facit, ut grammatica et logica interpretatione et Epi-

---

1) Verbum incertum est. Pap. habet *ΧΑΓ. . ‖ . ΙΣ διατριβικοῖς?* —

2) Epicurum ibi iuvenes audientes induxisse ex Plutarchi quaest. conviv. III, 6, 1, p. 653 constat.

3) pap. *. υναπιγοντα.*

4) Hoc *ὑπερέχειν* respondere illi *περιγινόμενον ἐν τοῖς χαγ . . ‖ . ισ* puto.

curi sententiam eliciat et suam cum Epicuro congruere probet. Eodem pertinet, quod Philodemus p. 97, 17 sqq. disputat non ex Convivio vel ex libris *περὶ βίων* Epicuri de rhetorica sententiam quaeri oportere, sed ex ipso de rhetorica libro. Itaque paene certum est Philodemum respicere haec, quae Stoico nescio cui tribueramus fragmenta: paene certum est hunc ipsum libellum ex philosophi nostri bibliotheca esse, eoque olim illatum esse, ut refutaretur. Cumque hac quoque via in Philodemi bibliothecam reduci videremur, iam non temerarius mihi videbar, quod quaecunque de rhetorica in fragmentis servata sunt (= Herc. voll. VI^2—XI^2), priusquam contrarium comprobaretur, Philodemo vindicabam.

De Philodemi opere *περὶ ῥητορικῆς*.

Volumina haec ad Gaium quendam puerum missa sunt, cf. p. 223, 5. Quot libri fuerint, non constat. Fuerunt autem ipso testante auctore plures quam quinque. Cf. p. 224, 5: — *ἐν τοῖς ὕστερον γραφησομένοις λόγοις ἀποθεωρήσομεν.* Itaque cum quartum librum finiret, plures etiamtunc libros conscribere in animo habebat. Mihi autem varietatem vel eorum respicienti, quae in fragmentis tractantur, vel eorum, quae passim se tractaturum auctor pollicetur, quae denique continuis papyris tradita sunt, aliquanto plures fuisse veri simile visum est. Quamque amplum opus molitus sit, vel inde licet conicere, quod librum quartum in duas partes diremit. Libros autem continuos, si papyrum 1004 sine titulo traditam Philodemo de-

deris, sex habemus, ex quibus duo (pap. 1669 et 1015) tantum *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς* inscripti sunt. Ceteri tituli sunt:

l. I: *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς ὑπομνημάτων α'* $\overline{αρ}$ XXXA $\overline{σε}$ \Z (puto *ρλζ'* fuisse collato libro IV[a], cuius ultimae paginae numerus *ρμζ'* subscriptus est).

l. II: *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς β'* ... XXXXHH[1])

l. IV[a]: *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς δ' τῶν εἰς δύο τὸ πρότερον*

l. IV[b]: *Φιλοδήμου περὶ ῥητορικῆς δ' τῶν εἰς δύο τὸ δεύτερον* (qui titulus in fine papyri subscriptus est).

Sine dubio scriptor per totum opus accuratissimam dispositionem secutus est, ut solet. Saepe enim singularum partium dispositionem commemorat, quas absolverit, quas tractaturus sit. Cuius rei exemplum librum secundum perlustres. Nec tamen hanc dispositionem, quoniam ingentis operis non ita multas continuas partes habemus, restituere aut dispicere possumus. Singula vero emergunt.

Atque nonnulla iis locis patefiunt, quibus vel antecedentia respicit vel pollicetur futura. Antecedentia autem commemorat, ut omittam ea, quae videntur minora vel obscura[2]), p. 98, 27 *ἐν τῷ πρὸ τούτου — παρεθήκαμεν* i. e. libro primo. Eodem libro vel initio secundi de Polyaeni vel potius de Pseudopolyaeni quadam sententia dictum erat, cf. 49, 7 sqq. Maioris momenti ea sunt, quae materiam futuram adumbrant,

---

1) Titulum ex duobus duarum papyrorum titulis composui. Litteram *β'* tantum apographon Ox. pap. 1672 exhibet.

2) cf. 23, 2; 155, 5; 183, 20; 191, 5.

quorum alia perspicua sunt, alia quo pertineant, non apparet. Manifesto sub finem libri primi (p. 12, 18) ea pars libri alterius describitur, qua Epicuri, Metrodori, Hermarchi testimonia afferuntur = p. 69, 2 sqq. Quod autem profert p. 12, 9—18 *τοῖς δ' ἡμετέροις κτλ.*, aperte pertinet ad Bromii cuiusdam Epicurei *περὶ τεχνῶν* aliorumque Epicureorum libros. Ut autem his locis secunda pars libri alterius attingitur, sic p. 1, 1 et p. 11, 3 sqq. in primam eiusdem libri partem reicimur, cum dicat: *πρὸς τὰς κατὰ μέρος λόγων* (scil. adversariorum) *διακοπὰς ἐπιμνησθησόμεθα* et *ἐπί τε τῆς διακοπῆς τῶν κατὰ μέρος λόγων ἔνια τῶν νῦν παραλελειμμένων ἐπισημασίας ἀξιωθήσεται.* Cf. p. 31, 33 *χρεία πρὸς αὐτάς γ' ἐπιέναι τὰς τῶν κατὰ μέρος λόγων διακοπάς.* — Ut autem in fine libri primi argumentum secundi proponitur, sic in fine alterius argumentum tertii libri delineatur p. 135, 40, de quo statim verba facienda sunt fusius. Nec aliter p. 223, 19—224, 4 argumentum libri quinti adumbrari credidi, cum quae sequuntur de Gorgia Platonis p. 224, 5 sqq. ad pap. 221 pertinere verisimile sit = VIII² fol. 134—137. Reliqua adhuc in dubio relinquere malui, dico p. 67, 24; 211, 20; 212, 4; 214, 20; 222, 6 sqq.

De argumento libri I.[1])

Consentaneum est Philodemum de natura ac partibus rhetoricae disputaturum de singularum artium vi

1) Accuratius et paene ad verbum has paucas paginas expressi, ut qui primo librum evolveret, quo niteretur haberet neve sermonis difficultate a limine depelleretur.

et genere praefatum esse. Artes autem inter se differre contendit, alias per se ipsas stare, nec ullius omnino exercitationis indigere, alias usu et consuetudine contineri, alias ingenii quadam felicitate niti, alias denique aliter misceri, harum opera ad artifices pertinere solos, illarum etiam ab iis perfici, qui artificis nomine careant (fr. IV, II). Recensentibus autem, inquit, eorum, qui de rhetorica scripserunt, libellos varia vitiorum genera occurrunt. Velut errant, qui ex artibus removere cupiunt, si qua proprii aliquid afferat et hoc ad ipsam putant pertinere rhetoricam. (fr. I). — Qui rhetoricam ab aliis doctrinis vel artibus[1]) differre volunt, non illam artem esse negant, sed non solam utique ad finem suum pervenire, immo alius quoque artis auxilio niti posse contendunt (p. I, II init.). Id vero in libris adversariorum miserrimum genus argumentandi est, si quis illis ipsis, unde sua illi vaticinantur, usus vel contrarium possit probare; minimeque ab illis eorum opinio redarguitur, qui partem artis ab imperfecto artifice recipi posse proponant. Porro vitiosissimum, si qui ab his, qui partem artis possident, exorsi totas scientias vituperant. Prompta enim defensio est. Nam persuadebunt fortasse, qui oratores non sunt, at ipsa oratione persuadendum est: is enim finis est rhetoricae. In quo perridicule formositate, auro etc. cuilibet persuaderi posse profertur (pag. III). Cumque privatum oratione interdum persuadere con-

1) Apud Philod. doctrinae et artis notionem non multum differre, illustratur p. 75, 13 sqq.

fitendum sit, at nec melius nec cum tanta artificii proprietate nec tam stricte quam artifex persuadebit.

Porro argumentorum, quae illi proferunt, alia non concinna sunt, alia ne diversa quidem inter se sed iactandi gratia multifariam mutata et variata. Eo quoque vitio nimis illorum libri laborant, quod ea, quae per se ipsa patent, demonstrant nec ullo ordine disposita proponunt (IV): quae quidem ad plurimos commentarios pertinet vituperatio.[1]) Velut per se ipsum patet facileque illis concedetur certis quibusdam locis ac temporibus artem nullam exstitisse, si apud quos vel quibus temporibus scribendi artem fuisse negandum sit, apud eos ne artes quidem litteris mandatas demonstrasse videbuntur. Denique vel omnes vel plurimae argumentationes vel concessis praemissis non id efficiunt, quod ii, qui illas composuerunt, volebant demonstrari. Quod enim accidit in musica, ut si minus scribendi vel legendi ars inde nascatur, at aliarum rerum scientia esse possit, idem usu venit in rhetorica, licet politica et usus forensis illinc non efficiatur (V). Recte autem iudicat, qui politicam non ex sophistica quaerendam censet. Iam ut dialectica ars est, nec tamen quidquam per se ipsa perficit, nisi si cum ethicis et physicis quaestionibus coniuncta exhibeatur, ita rhetorica illa quidem ars est, sed nisi cum rebus politicis conexa operum opifex existere non potest. Plurima enim argumenta extrinsecus petita esse apparet.

Sunt fortasse alia etiam vitiorum genera, quae ad illos libros pertineant: nec tamen ad unguem rese-

---

1) p. 8, 38 colon, 8, 3 punctum ponendum est.

canda censemus ea (VI), quorum perspicua est vitiositas, et in perstringendis singulis nonnulla, quae nunc omisimus, afferentur.

Ex Epicureorum denique numero vehementissime eos vituperat Philodemus, quicunque sophisticae rhetoricae ullam esse artem negaverunt et in hanc sententiam libros composuerunt. Quodsi hanc artem esse Epicurus, Metrodorus, Hermarchus declaraverunt, ut demonstrabitur, qui contra hos ex Epicureorum numero scribunt, paene pro parricidis habendi videntur. —

Vides Philodemum his, priusquam singula aggrediatur, generatim qualia vitia impugnaturus sit, comprehendere et tanquam viam munire. Hoc autem in aestimandis et diiudicandis his voluminibus imprimis tenendum esse apparet, Philodemum non rhetoricam sed de rhetorica scribere, non artem edere sed componere *ἀντιγραφήν*, non tam sua praecepta dare quam refutare aliena. Cf. e. g. p. 214, 22 *πρὸς ὃ καὶ λαλήσομεν ἐπὶ τοὺς ἐκδεδομένους ὑπ' αὐτῶν λόγους ἀναφέροντες.*

De argumento libri II.

Quoniam dispositionem huius libri paene totam ipsis Philodemi verbis adscribere licet, quantum id fieri poterat, facere non dubitavi.

I. *Ἑτέρων δόξαι.*

1. *κατὰ μέρος λόγων διακοπὴ*
   a. *τῶν ἠρωτημένων ὑπὲρ τοῦ τέχνην μὴ εἶναι τὴν ῥητορικήν* (p. 13—29, 14) *καὶ*

b. τῶν ὑπὲρ τοῦ τέχνην αὐτὴν εἶναι προφερομένων (p. 29, 14—46, 16).

2. πρὸς Ἐπικουρείους

a. τοὺς λέγοντας τὴν ῥητορικὴν τοῦ μὲν γράφειν λόγους καὶ ἐπιδείξεις ποιεῖσθαι τέχνην εἶναι, τοῦ δὲ δίκας λέγειν καὶ δημηγορεῖν οὐ τέχνην p. 47, 17 sqq.

b. πρὸς τοὺς λέγοντας αὐτὴν τέχνην, προσδεομένην δὲ φύσεως καὶ τριβῆς οὐκ εἰς τὴν ἑαυτῆς ἀνάληψιν ἀλλ' εἰς τὴν ἐπιτυχίαν τοῦ τέλους p. 49, 14 sqq.

c. πρὸς τοὺς ἀποφαινομένους οὐκ εἶναι τέχνην, εἴ τις προείληφε τέχνην τὴν τὸ μεθοδικὸν ἔχουσαν καὶ ἑστηκὸς παράδοσιν, εἰ δὲ καλεῖ καὶ τὴν ὁλοσχερῆ παρατήρησιν τὴν στοχαζομένην τοῦ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ κατὰ τὸ εὔλογον, τέχνην εἶναι p. 53, 5 sqq.

d. πρὸς τοὺς μόνον ἀντιφώνους σχολῶν τοὺς ὑπομνηματισμοὺς ἀναγράψαντας[1]) p. 57, 23—60, 11.

e. πρὸς Βρόμιον contra Epicuri sententiam stantem p. 64, 11—68, 1.

II. Φιλοδήμου δόξαι,

quae quattuor capitibus illustrantur:

a. τέχνη τί λέγεται κατὰ τὴν συνήθειαν, ὑπομνῆσαι βραχέως (οὐ γὰρ ἄλλῃ τὰ ἡμέτερα ἔστι δεῖξαι) p. 68, 1—77, 26.

---

1) Additur p. 60, 11—64, 10 de politica disputatio, quam nemo fere Epicureus artem esse statuat, et de quibusdam, quae rhet. artibus intercedant, differentiis, de quibus perperam nonnulli iudicarunt.

b. *τὴν σοφιστικὴν ῥητορικὴν τέχνην λεγομένην παρὰ τοῖς ἀνδράσιν, καθ' οὓς φιλοσοφοῦμεν, ἐκ μεθόδου καί τινος τῶν στοιχείων παραδόσεως γινομένην, μηδὲ πρὸς ἀλλήλους ἡμᾶς αὐτοὺς καὶ τοὺς προλεγομένους διεστῶτας*[1]) p. 77, 26—122, 25.

c. *καὶ τὸ τὴν σοφιστικὴν περὶ μὲν λόγων γραφὰς καὶ ἐπιδείξεις τέχνην εἶναι, περὶ δὲ τὸ δίκας λέγειν καὶ δημογορεῖν οὐκ εἶναι τέχνην*[2]) p. 122, 25—136, 20.

d. *ἔτι τὸ τὴν πολιτικὴν ἐν ἱστορίᾳ καὶ τριβῇ καθεστηκέναι, τεχνικὸν δὲ μηθὲν προσφέρεσθαι*[3]) p. 136, 20—146.

Habes fere, quae in continuis papyris tractantur. Multa tamen interciderunt. Dixi papyros 408, 409, 425, 1079, 1086, 1117, 1580 huc pertinere. Nam textus singularum paginarum aut cum papyro continua aut cum aliis horum fragmentorum paginis ita concinit, ut ex altero alterum pendeat. His septem papyris addendae sunt p. 1573 = VIII² fol. 42—52 et p. 468 = X² 63—66, quas partes esse huius papyri argumento demonstrari posse confido.

Agitur autem hoc toto libro trita illa quaestio, sitne ars rhetorica necne. Ac priore parte Philodemus alienas, altera suas profert sententias. Quarum partium prior ita bipertita est, ut primum aliorum philosophorum, deinde Epicureorum argumentationes per-

1) Satis incerta proposui, tamen sic fere supplenda sunt, quae p. 68 non poteram emendare. Cf. p. 77, 26 sqq. *ἀλλὰ νῦν — οὐχ ἡμεῖς.*

2) cf. 122, 25 sqq.

3) cf. 136, 20 sqq.

lustret. Nam qui p. 47, 14—68, 1 citantur, omnes esse Epicureos constat, quia horum sententiae ad Epicuri normam omnes examinantur. Cumque quaecunque ab aliis sive philosophis sive rhetoricis disputata sunt, rhetoricam artem esse aut negent aut probent, viginti fere vel plures etiam „λόγοι“ vel „ἀποδείξεις“ vel „πίστεις“ recensentur, quibus rhetoricam artem esse negetur, sex, quibus defendatur. Philodemi autem ratio ea est, ut ipsis auctorum verbis propositis sua adiciat, semel etiam praemittat.[1]) Sic enim illud *δέον ἐπί τινων προρρήσεως καὶ ἐπιρρήσεως* 31, 1 interpretandum est.

His autem ipsis *λόγοις* non multa antecessisse videntur. Quamquam enim consentaneum est eum, qui de rhetorica scripturus sit, definitiones illas varias huius artis recensere, tamen XI², 99 et IX², 99 (cf. X², 153) id in singulis *λόγοις* tamquam subseciva opera factum esse videtur. Ibi enim opus rhetoricae *τοῦ πείθειν τις δύναμις τὸν ἀκροατὴν* definitur et finis eius *τὸ τοὺς ἐνδεχομένους εἰς τὰ προβλήματα λόγους εὑρεῖν*[2]) dicitur. — Nec de cunabulis et incremento artis caput praemissum esse Coracis et Antiphontis nomina IX², 111 laudata mihi persuadere potuerunt. Quod denique Gorgiae, Isocratis, Lysiae, qui his successerunt, XI², 96 mentio fit, hoc quoque in aliquo capite attingi magis quam per se tractari puto. Falso enim, inquit, nonnulli exposuerunt illos nullam se scientiam habere professos esse.

1) cf. p. 43, 29—44, 16.

2) Hanc quaestionem se omissurum dicit, quia libro IV eam fuit tractaturus.

Quaeritur, contra quos Philodemus disputaverit. Primum quidem contra Stoam, cuius nomen VIII^2, 44, IX^2, 92 apparet. Cf. X^2, 65 fr. 5, XI^2, 103. Itaque mihi veri simile visum est IX^2, 91 et 93 Diogenem illum Babylonium dici. Cuius aequalis Critolaus ibidem IX^2, 94 sqq. saepius appellatur. Accedit Ptolemaeus quidam, puto Epicureus Alexandrinus XI^2, 103, fortasse [Arces]ilaus IX^2, 107, Theodorus Cyrenaeus, Aristippi assecla. Neque enim facere possum, quin X^2, 149 fr. 9 sic exprimam: *ἐπεὶ δὲ τὰς πίστεις ἀπεθεωρήσαμεν τοῦ φιλοσόφου τούτου, ὥσπερ ἀκολουθίᾳ ἐπιζητῆσαι δεῖ καὶ τὰς τοῦ [Κυρην]αίου Θεοδώρου περὶ τῶν αὐτῶν, ὥς φησιν οὗτος, ἠρωτημένας.* Itaque magis magisque videmus hanc de rhetorica quaestionem, quae nobis tam exilis videtur, apud veteres omni exspectatione latius patuisse et acutissima quaeque saeculorum ingenia detinuisse. Iamque, opinor, causam dispicimus, cur hic potissimum liber tot exemplaribus vel potius fragmentis traditus sit. Ut brevis sim, quia plurimos alliciebat, maxime delectabat, saepissime poscebatur.

Quibus praemissis singulas adversariorum argumentationes enumeratas magis quam dispositas adscribam.[1])

a. *ὁ τεχνίτης ἢ μόνος ἢ μάλιστα τοῦ τέλους τυγχάνει· [τοῦ δὲ σοφιστοῦ οὐ μόνον ὁ τέλειος ῥήτωρ μᾶλλον τυγχάνει] ἀλλὰ καὶ ὁ τυχὼν ἀγωνότριψ* IX^2, 42. Verba ipsa sic non servata sed a me ex Philodemi refutatione reficta sunt. Quae uncis inclusi, omnino coniectura supplevi.

---

1) Lacunas, quae plerumque maximae sunt, in his raro notavi.

b. ... τῇ δυνάμει θατέρου μόνον τῆς τέχνης μετεσχηκέναι μέρους, θατέρου δὲ ἠμοιρηκέναι, τὸν μέντοι τέλειον ἢ ῥήτορα συγκεκροτημένον ἐξ ἀμφοῖν ἀγαθὸν ἄνδρα καὶ πολίτην εἶναι διὰ παντός XI², 105. Locus subobscurus est.

c. ... ἐπ' ἐκεῖνο μεταβῶμεν τῶν αὐτῶν τὸ τὴν πολιτικὴν ῥητορικὴν τέχνην μὲν ὑπάρχειν, ἧττον δὲ ἑτέρων· συνεφώνουν γὰρ ὀλίγους * ἐκπεπονηκότας εἶναι δυνατοὺς ἄντικρυς λέγειν, ὡς μουσικούς φαμεν τοὺς τῆς μουσικῆς λόγους ἀνειληφότας X², 146. Cf. IX², 44.

d. ματαία δὲ καὶ ἡ ταύτῃ συνεχὴς ἀπόδειξις ἡ καταξιοῦσα μὲν μὴ μεταβάλλειν τὰς ἐπιστήμας τοῖς τόποις, τὴν δὲ ῥητορικὴν ἀλλοίαν ἀποφαίνουσα κατὰ χώρας καὶ ἄστη X², 148. Cf. XI², 104: ἀπόδειξις, καθ' ἣν ἐκείνη μεταβάλλει τοῖς τόποις, ὥστ' ἄλλοις ἀλλοίαν ἐφαρμόττειν: quod medicinae exemplo IX², 103, 104 refutatur.

e. τῶν δὲ τοῦτον τὸν λόγον διηκριβωκότων προχείρου γενομένης ἤδη τῆς πλάνης πῶς οὐχὶ τὸν ἑξῆς ἐπιθαυμάσομεν τοιοῦτον ὑπάρχοντα· „εἴπερ ἀπατῶσιν οἱ ῥήτορες, καὶ αὐτοὶ ᾧτινι ἀπατῶσιν ἀπατῶνται, ὥσπερ οὐδ' ἄλλως γίνεται ἐν ὁράσει οὐδ' ἀκούσει· εἰ γὰρ ἄλλῳ συμβέβηκεν ἡ ἀπάτη, καὶ αὐτὸς ἀπατᾶται· οὐ μᾶλλον τοίνυν ἀπατῶσιν ἢ ἀπατῶνται“. IX², 48 = XI², 93. In eodem argumento versatur X², 147 et IX², 45—47, quo quidem loco ex grammaticae et medicinae similitudine refutatio petitur. Conferas etiam IX², 49 sqq.

f. πάλιν σκοπῶμεν τὸν ἐφεξῆς, καθ' ὃν ἠξίωσε πᾶσαν ἐπιστήμην ἔχειν ἰδίαν ὕλην, περὶ ἣν στρέφεται·

τὴν δὲ ῥητορικὴν ἐπειρᾶτο εἰπεῖν οὐδεμ[ίαν ἔχειν vel sim. Cf. Sexti Empirici adv. rhet. § 48 sqq.

g. *ἔτι δ' εἰ μὴ ἐκείνης ἔστιν τι τέλος, ἐφ' ὃ πάντα τὰ μέρη συννεύειν ὀφείλει, τῆς ῥητορικῆς οὐδέν ἐστι τέλος* IX², 101; quod illustratur Sexti Emp. adv. rhet. 89—92.

h. . . . *μετὰ ταύτην τὴν ἐπικειμένην ὑπομνήσομεν ἐκείνῃ· δῆλον ὅτι γὰρ πᾶσα τέχνη χάριν ὠφελίμου τινὸς εἰς τὸν βίον εἰσῆκται καὶ * καὶ παρασκευαστικὴ συμφερόντων ἐστίν· ἡ δὲ ῥητορικὴ πρὸς* . . . IX², 105. cf. Sexti Emp. adv. rhet. 10—12, ubi similia Critolao dantur.

i. *τοιαύτης δὲ τῆς πρώτης ἀποδείξεως πεφυκυίας βλέπεται τὸ διημαρτημένον ἤδη καὶ τῆς ἐκδεχομένης, καθ' ἣν ἐλέγετο πᾶσα τέχνη τυγχάνειν ἀεὶ τοῦ τέλους ἢ κατὰ τὸ πλεῖστον, ἡ δὲ ῥητορικὴ μηδετέρου γένους μετέχειν· ὅταν δὲ καὶ πείθῃ, διά τινα τῶν κοινῶν ἢ καὶ τῶν ἰδιωτικῶν νέμησιν τοῦ τέλους τυγχάνειν* XI², 101. Cf. Sexti Emp. adv. rhet. 13—15.

k. Legimus IX², 52 = XI², 100: — *καὶ φύσις δὲ κατενοήθη τὸ τῆς τέχνης ἔργον ἀποτελεῖν· ἔτι εἰ συγκεχώρηταί τινας ἀδιδάκτως εὖ λέγειν, ἀλλ' οὐκ ἀποδεικνύειν φήσουσιν ἄτεχνον οὖσαν τὴν ῥητορικήν.* Conferas IX², 60 = IX², 98, fr. 8: *σαφῶς γὰρ ἔφη, ὅτι Δημάδης οὐκ ἔμαθεν, ὡς δ' αὔτως Αἰσχίνης ἤτοι καὶ παρ' ἄλλων ἢ δι' αὐτῶν τὰ μεθοδικὰ τῆς ῥητορικῆς οὔτ' ἄπλατα τὸ πλῆθος ὄντα προσκαρτερήσεως τε πολλῆς οὐ δεόμενα· τὸν μὲν γὰρ Δημοσθένην πάντες κεκράγασιν οἱ κατ' αὐτὸν τεχνίτην εἶναι καὶ Κριτόλαος ὀυκ ἀπαρνεῖται· ὀχυροῖ δὲ προσέτι τὸ ταττόμενον ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν μικρὰ παρὰ τῆς τέχνης αὐτὸν εἰληφέναι·*

καὶ γὰρ δὴ τὸ τὰς εἰκοβολίας οὐκ ὀρθοβολεῖν εἰ μή που σπανίως· Αἰσχίνην δὲ δῆλον ὅτι καὶ Δημάδην συνεχῶς ὀρθοβολεῖν. Quibus lectis *λόγον* iam deprehendimus VIII², 48: [„*ὅτι τοῦ ὀρθοβολεῖν ὀρέγεται*] *πᾶσα τέχνη· τὸ δ' εἰκοβολεῖν οὐκ ὀρθοβολεῖ πλὴν εἴ που σπανίως· ῥήτορας δὲ δεινοὺς γεγονότας* (i. e. *ὀρθοβολοῦντας*) *ἄνευ μαθήσεως παρειλήφαμεν.*“ *Οὐ χρεία δὲ παλινλογεῖν, ἀναγκαῖον εἶναι τοῖς ἀποδείξασιν ὡς κατά γε τὴν δύναμιν οὐθὲν διαφέροντας* (p. *ουσησ*) *τοῦ διδάσκοντος λόγους ἥρωας ἢ τοιούτους τινὰς μὴ μαθόντας τὴν ῥητορικήν*..— Tales heroes inducuntur VIII², 55, 56 Adrastus, Theseus, Polymestor, qui IX², 112 *ὁμιλητικώτατοι* vocantur. Similiter Phocion politicam sine Platonis et Aristotelis libris didicit, cf. IX², 96: similiter ante Zenonem et Cleanthem et Socratem et Aristotelem boni philosophi fuerunt, cf. IX², 110. Ante Zenonem et Cleanthem et Socratem! Nonne tibi Stoicum audire videris? Fortasse verba Diogenis citantur contra Critolaum, cuius haec demonstratio est (cf. IX², 60, 98), disputantis. Diogenis enim nomen IX², 91 et 93 apparet, Critolai IX², 92 et 94.

Iam vero proximum argumentum, quod et in continua papyro et in fragmentis satis abunde tractatur, vel maxime ad Diogenem et Critolaum anno 155 Romam missos pertinere videtur. Est autem idem, quod Sextus Empiricus his verbis ipsi Critolao tribuit: ... *τὰς μὲν τέχνας οὐκ ἐκβάλλουσιν αἱ πόλεις πάνυ τι βιωφελεῖς οὔσας ἐπιστάμεναι* . . ., *τὴν μέντοι ῥητορικὴν πάντες πανταχόθεν ὡς πολεμιωτάτην ἐδίωξαν* velut Thales Cretensis et Lycurgus (cf. adv. rhet. 20 sqq.). Partem argumentationis Critolai invenies IX², 93. Eodem

pertinet fol. 91, 92, VIII², 137, IX², 41, 55, 56, X², 64(?) XI², 108.

Secunda thesis, quae in papyro 1674 latet (cf. fr. 10), talis fere fuisse videtur: „Nocet saepe rhetorica praecipue a sycophantis tractata.“ Respondetur p. 19, quam satis male emendavi, in hanc sententiam: idem in alias quoque artes cadere, cum architecti incuria domus concidat, vel navem perdat malus gubernator, vel hominem occidat medicus. —

Iam facile, quae sequuntur adversariorum sententiae internosci possunt, quoniam sine particulis per *ἀσύνδετον* proponuntur. In quo p. 42, 5 ne verbum quidem participio subiecit.

Tertia[1]) igitur *ἀπόδειξις* p. 19, 12—18 legitur, puto usque ad verbum *διαλεκτικός*: locus enim subobscurus est. Cum hac demonstratione eiusdem auctoris sententia 20, 9—21, 14 coniungenda est.

Quarta sententia = 23, 4—24, 11, quibus quidem verbis Philodemus 24, 26—33 inseruit, ni fallor.

Quinta sententia = 25, 32—35.

Sexta sententia = 26, 19—25: *πᾶς τεχνίτης — ἔργον* [rhetor tamen accusatus non ipse se expedit sed ad patronum se confert]. Talia enim exstitisse puto, quibus concinne respondetur: itaque etiam de medicina desperandum est, si medicus morbo implicatus non ipse sibi medeatur sed peritum adhibeat collegam.

Septima sententia = 27, 6—15.

Prima[2]) deinceps demonstratio, qua rhetoricam

1) Cf. p. 6, 25.

2) Anaximenea est, cf. HV IV¹, fol. 2.

artem esse probatur, legitur 31, 3—7; altera 35, 1—5; tertia 36, 24—28; quarta 40, 18—24; quinta 42, 5—10 et 12—16; sexta 44, 16—21. —

Quae proxima parte 47, 17—68, 1 contra Epicureos disputantur, in eo maxime versantur, quod rhetoricae, sophisticae, politicae notiones non satis distinguantur. Interest autem inter ceteros et Bromium, amicum Philodemi, quorum illi non ita multum ab Epicuro dissentire videntur, hic fere omnibus discrepat.

Iam altera huius libri parte scriptor suas sententias profert. In quo cum quaeratur, sitne rhetorica ars necne, quid sit ars, aptissime definitur. Abiecta autem illa volgari vera ars hac definitione distinguitur: est enim *ἕξις ἢ διάθεσις ἀπὸ παρατηρήσεως τινῶν κοινῶν καὶ στοιχειωδῶν, ἃ διὰ πλειόνων διήκει τῶν ἐπὶ μέρους καταλαμβάνουσά τε καὶ συντελοῦσα τοιοῦτον, οἷον ὁμοίως τῶν μὴ μαθόντων οὐθείς, ἑστηκότως καὶ βεβαίως οὐδὲ στοχαστικῶς* 69, 5—70, 15. Cui quidem definitioni sophistica satisfacit, non satisfacit politica. Cf. 76, 11 sqq.

Quoniam autem Epicureo verum demonstrare fere idem est atque Epicurum sequi et coryphaeos sectae, nil antiquius habet, quam ut explicet, quibus locis et argumentis hoc illi Zenoni magistro proferre visi sint. Atque Epicurus vel ipsis, quibus utebatur vocibus, quid senserit, significat, 78, 2—19. Hermarchus in litteris ad Theophidam datis suam de rhetoricae partibus sententiam exposuit, 78, 19—85, 13 (vel 19). Quamquam autem non omnia restitui poterant, illud tamen apparet Hermarchum non tam sophisticam esse artem quam nihil esse artis in causidicis et contiona-

toribus demonstravisse. Ac sentiens Philodemus Hermarchi testimonio nihil fere effici addit: παρεθέμεθα δὲ καὶ τὰς ἐπὶ πᾶσι λέξεις, εἴ τῳ γενήσεται φίλον καὶ ταύτας ἔχειν, οὐκ ἀγνοοῦντες, ὅτι περί τινος ἄλλου δόξουσι καὶ οὐχὶ περὶ τοῦ προκειμένου καταγεγράφθαι! 85, 19—27. Tertius accedit Metrodorus, qui primo de poematis libro sophisticam artem esse disseruit. Cf. 86, 4—89, 29, quem locum doleo quod non integrum dare potui.

Auditis magistris aequales adversarii perlustrantur, audimusque Rhodi, Romae, Coi, Athenis disputantes, certantes, quaerentes, quid Epicurus de sophistica rhetorica statuerit, ubi statuerit, quemadmodum verba eius interpretanda sint. Tempora mutantur et non mutantur. Nec enim maiore industria vel subtilitate nostri interpretes utuntur: quamquam conviciandi libertate nos ab illis superari facile patiemur.

Primum autem de rhetorica certantes Rhodii et Romani inducuntur (89, 11 sqq.), quorum illi, ni fallor, artem dicunt, hi negant. Cf. disputationem Rhodi habitam 90, 1—6. Deinde ironice, opinor, duorum Coorum mentio fit, quorum alter de nostra quaestione, sitne ars sophistica rhetorica, in Convivio et libris περὶ βίων Epicuri[1]) stolide ac frustra quaesiverit, alter ipse quidem nesciat, ubi hoc diiudicetur, scientes sciat Athenis vivere. Tertius quidam Athenis mortuus et eandem fere quam Philodemus sententiam secutus ab alio impugnatur, qui nullam omnino rhetoricae partem artem esse putat. Quartus p. 92, 33—95, 17 refutatur,

1) Hoc fortasse 90, 27—29 latet.

qui neque in forensi neque in iudiciali neque in panegyrico genere ullum arti locum esse dixit: neque enim esse posse vulgi quandam cum arte persuasionem Epicuri testimonio patefieri, quod p. 94 profertur.[1]) Quintus accedit magister Atheniensis, qui cum XXVI annos philosophiam (Epicuream?) profiteatur, tamen ubi haec quaestio profligetur, non invenerit quique a discipulis sollertia et indagandi felicitate superatus sit. Itaque, inquit, ut illi frustra quaerere desinerent, illos Epicuri, Hermarchi, Metrodori locos in medio proposui. — Non possum singula persequi, quoniam illae paginae etiamnunc magnam partem restituendae sunt.

In sequentibus ea, quae adversarii ex libris Epicuri et Metrodori contra Philodemum attulerant, examinantur. Ac primum p. 102, 22—119, 27 locus Convivii Epicurei tractatur, quem adversarii contra Philodemum afferri posse putaverant. Tum 119, 28—120, 5 ne Metrodori quidem locos contra se productos quidquam probare posse dicit, pollicitusque se singillatim de nonnullis rebus alio etiam loco verba facturum Metrodori, Hermarchi, Epicuri testimoniis acquiescendum censet adiecto sub finem huius partis Metrodori loco, quo ne sophisticam quidem rhetoricam haud secus ac iudicialem et forensem sine usu quodam ac rerum civilium notitia cogitari posse explicetur.

Tertio, quod posuerat, capite (p. 122, 25—136, 20) exponitur: *διότι δὴ καὶ κατ' ἀλήθειαν ἡ σοφιστικὴ ῥητορικὴ τέχνη τίς ἐστιν περί τε τὰς ἐπιδείξεις, οἵας*

1) Video nunc p. 94 cum 100, 12—101, 33 conferendam esse, unde 95, 7 *κακῶν* legendum esse elucet.

αὐτοὶ ποιοῦνται, καὶ τὰς τῶν λόγων διαθέσεις, οἵων αὐτοὶ γράφουσίν τε καὶ σχεδιάζουσιν. Quamquam enim non multum habet methodi[1]), tamen ea non orbata est. Habet enim *ἐπιτεύγματα* sua (124, 7), *καθολικὰς παραδόσεις* (126) velut de prooemiorum, narrationum etc. ratione, *κοινά τινα καὶ στοιχεῖα ἐπὶ τὰ κατὰ μέρος διήκοντα* (127, 128, 1)[2]) quaeque praeterea sunt ex Philodemi sententia signa artis. Itaque qui ingenio felici et bene temperato enixus technologias penitus perceperit adiuncta exercitatione id, quod propositum est, non minus quam in aliis artibus consequetur (129). Perperam vero eam artem esse contionandi causasque dicendi contenditur (132). Quaeque in scholis eiusmodi orationes habentur, vanae imitationes sunt, quibus usus et peritia fori, iudicii, legationum adfectatur magis quam percipitur aut traditur. Itaque abicienda ista. Neque enim si ars est, ideo ars est politicae (134).

Quartum erat caput *περὶ τοῦ τὴν εὐδοκιμοῦσαν ἐν δήμοις καὶ δικαστηρίοις δύναμιν οὐχ ὑπ᾽ ἄλλης περιγίνεσθαι τοῖς ὅλοις ἐπιστήμης* 136, 20—137, 27. Quod satis simplici ratiocinatione demonstratur sic: nemo praeter scholasticos hanc artem profitetur: atqui ad politicam facultatem assequendam nihil videntur afferre: itaque qui eam habeant, hos quo modo cunque adeptos eam sine doctrina nancisci efficitur (p. 137).

1) ut poetica et musica.

2) quod Isocratis exemplo demonstrari videtur.

Reliqua propediem una cum Philodemi reliquiis edentur.

Sententiae controversae.

I. Iis, quae Duemmler in indice universitatis Basiliensis (Chronologische Beiträge zu einigen Platonischen Dialogen etc.) proximo anno contra me disputavit, non refutatum me esse puto Platonisque Gorgiam anno fere 376 editum esse etiamnunc existimo.

II. In Theophrasti historia plantarum hiatus non omnino vitatus est, sed tamen eius ratio habita est, quae quidem in textu recensendo norma respicienda erit.

III. Ab Epicureis coryphaei sectae Epicurus, Metrodorus, Hermarchus *οἱ ἄνδρες* vocitabantur. Cf. e. g. Philodem. de musica ed. Kemke p. 95, 21 multosque locos rhetoricae.

IV. Cornuti cap. 27 (ed. Lang. p. 50, 15): *Ἴσως δ' ἂν οὗτος καὶ ὁ Πρίαπος εἴη, καθ' ὃν πρόεισιν εἰς φῶς πάντα, τῶν ἀρχαίων δεισιδαιμόνως καὶ ἁδρῶς διὰ τούτων ἃ ἐφρόνουν περὶ τῆς τοῦ κόσμου φύσεως παριστάντων. — Διὰ τίνων,* quaero et scribo *διὰ τύπων.* Cf. cap. VI (Lang. p. 6, 8).

V. In Theophrasti charact. cap. XXII *περὶ ἀνελευθερίας* (initio) scribendum est: *ἐπιγράψας μὲν αὐτὸς τὸ ὄνομα* (codd. *αὐτοῦ* vel *αὑτοῦ*).

VI. In Herondae mimiamb. II, 82:

ἔμβυσον εἰς τὴν χεῖρα Βα[ττ]αρίωι τιμήν

deminutivum immutare praesertim in sermocinatione obscena et cinaedula non ausim.

IV, 37, 38 propono:

εἰ μή τις αὐτὴν εἶδε Βατάλην, βλέψας
εἰς τοῦτο τὸ εἰκόνισμα μὴ [ζό]ης δείσθω.

cf. v. 34 et 68 *ζόην ἡμέρην* = vivam lucem.

VII. In carmine 'de tribus puellis' Jahnke v. 271, 272 sic edidit:

Ingreditur tandem lectum praeparata manuque
Pallia picta levans corpora nostra tegit.

Libri exhibent 'preparando', i. e. 'properando'.

V, 231, 232 legitur:

Iuppiter hic stabat ridens fallensque puellas,
Has agni specie decipit, has aquilae.

Nisi in libris manuscriptis 'cigni' pro 'agni' etiamnunc legitur, monachus falso descripsit.

VIII. Nego tales verborum distinctiones sub fines versuum in libris Herculanensibus exstitisse, quibus Kemkii potissimum liber abundat: p. 14 *σημαί-[ν||ειν]* pro *σημαίνε||σθαι*, p. 15 *παιδὸς γοῦν α||ὐλ]οῦντος* pro *ἀ||θλοῦντος*, p. 22 *ἕ[λκ||οντα* pro *ἐκλύ||οντα*. Itemque paullo infra pro *φορτ[ικ||ῶς δια]λελυμένον* lege *φορτ[ικὸν || καὶ ἐκ]λελυμένον* — Pag. 42, 25: *τοῦτο δὲ λαβὼν ἐπιφέρω τὸ πολλῷ μᾶλλον ἀμφοτέρων τὸν ἰδιώτην [πᾶσ||αν καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν διαφορὰν τῶν μελῶν καὶ τῶν ῥυθμῶν ἀγνο[ήσειν]*. Leg. *τὸν ἰδιώτην* (scil. *ἀδυνατήσειν ἐπιγνῶναι*), *ἐ||ὰν καὶ . . . ἀγνοήσῃ*.

IX. Ibidem pag. 8, 9 propono: *τῆς δὲ μουσικῆς* (scil. *ἔστιν*) *τὸ μὲν ἀναγκαῖον ἥ[κιστα] τούτων ἔχειν, τὸ δ' ε[ἰκ]α[ῖον]* (pap. *τοδεχα*, non puto *χάριεν*) *μάλιστ', ἐάν τις ἐπὶ βρα[χὺ αὐ]τῇ χρῆται.* (pap. *επιβοα*, Buecheler *ἐπιβολῇ*).

p. 28 fuit: *τὸ δὲ Τυρταῖον αὐτοὺ[ς παρει]ληφέναι καὶ προτετιμ[ηκέ]ναι διὰ μουσικὴν ἀνισ[τόρη]τον ἔοικεν εἶναι πάντω[ς, τῶν] μὲν σχεδὸν ὁμολογούν[των] κατὰ χρησμὸν αὐτὸν ἐξ Ἀ[θη]νῶν μεταπεπέμφθαι Π[υθίας], τῶν δὲ γινωσκόντων* etc.

p. 28, 29 *ὑπὲρ [τ]ἀχιλλέως* et versu 5 pro *[φορ]τικῶς μαρτυροῦντα* scribendum erat *[φα]τικῶς*, quod versu 8 aliis verbis sed eodem sensu dicitur *ἄνευ πίστεως.*

pag. 94, 25 leg. *οἱ δ' ἐ[πιχειρή]σαντες ἐπιστώσ[αντο οὔ]τε* (pap. *το*) *διὰ τῶν πᾶ[σ]ι φ[ανερῶν] οὔτ' ἔμαθον ἅπαν[τες]* etc.

X. Hausrath, Philodem. de poëmat. p. 256, fragm. 40: *τὰ τῶν θεῶν ἢ τῶν ἀνθρώπων ἢ τῶν ἄλλων ζώιων .... ωνα .. χων ἢ τῶν πράξεων* — leg. *καὶ τῶν ἀψύχων.* — Ibidem fr. 37: *ὧν εἰ μὲν ἐπέτυχεν, οἳ δ' ἥμαρτον!* Leg. *οἱ μὲν ἐπέτυχον, οἱ δ' ἥμαρτον.* Mentitur tabula.

pag. 248, fr. 20 propono: *οὐδ[ὲ γὰρ ὁ] σιττακὸς οἶδεν, ε[ἴ τινα τρα]γωιδίας λέγει στ[ίχον, ἀλ]λ' ὅμως ἀποτελεῖ[ν δοκεῖ] τοὺς ἤχους οὕτω[ς ὥσπερ] ὁ ἄνθρωπος.*

XI. Koerte in libro optimo 'Metrodori Epicurei fragmenta' non probavit papyrum 831 Metrodoro esse tribuendam. Nec vero illa papyrus, quatenus

servata est, tamquam summam totius doctrinae continet sed apte inscribatur *περὶ μετεωρισμῶν*.

XII. Ibidem fr. 13 editum est: *κἄπειτα δ' [ἡδον]ὰς*(?) *ἔχειν* etc. Legendum *δ[όξαν π]αρέχειν ὡς τούς τε πολλοὺς ἐξελέγχοντες κτλ.*

papyr. 831, col. 11, 5 *εἴς γὰρ τὸ [τούτοις] ἐνδοῦναι π . . λον* — Exemplum Oxf. habet *ΑΓ¯.. ΥΛΟ* — Leg. *εἴς γὰρ τὸ[ν αὐτὸν] ἐνδοῦναι [πίτ]υλον*; cf. Philod. rhet. I, pag. 251, 10.

fr. 78: *προσέθηκάς τε τῇ ἀγωγῇ ταύτῃ καὶ τὸ ἐξ ἑαυτοῦ σωφρονικὸν ἀναλόγως.* Cf. Philod. rhet. I p. 116, 25 *ἐξυνηθείας* et scribe *ἐκ σεαυτοῦ*. Audimus dictata.

XIII. Non debebat Fleckeisen in Cornelii Nepotis Themist. II 4 verba 'eam invasit' addere. Consulto enim Cornelius ingenti periodo et anacolutho ingentem Xerxis exercitum voluit depingere.

Ceterum censeo Nepotem ex scholis esse removendum.

Vita.

Siegfried Sudhaus natus sum Treptoviae in oppido Pommeraniae die IX mensis Iulii anni h. s. LXIII patre Friderico matre Anna e gente Neumann. Pater nobis ante hos quattuor annos fato acerbo ereptus est. Fidem profiteor evangelicam. Postquam litterarum veterum studiosus anno h. s. LXXXI Treptoviae testimonium maturitatis adeptus sum, annum in hac universitate, annum Berolini tertiumque annum Bonnae studiis philologis me dedi. Deinde per biduum Fontibus Mathiacis puerum educandum suscipiebam. Tertium huc reversus per singulos annos examina absolvi, miles fui, candidatus, magister. Bonnae et Berolini sodalis seminarii ordinarius fui. Audivi viros doctissimos Buechelerum Dielsium Kirchhoffium Vahlenum Usenerum. Praeterea plurimum debeo nostrae sodalitati, cui nomen est 'Klassisch-philologischer Verein'.